

rem; neque oportet donationem promulgari, sed satis est ut sit nota; sic enim concessio privilegii est veluti donatio quædam: unde hoc non procedit tantum in foro conscientie, sed etiam in foro exteriori, si in illo privilegium sufficienter probetur, quod onus privilegiario incumbit; et ita videmus in jure canonico juxta hujusmodi privilegia passim proferri sententiam, nec in illis requiri promulgationem, sed probationem.

8. *Cura notificandi privilegium non spectat ad principem, sicut solet cura solemnis promulgationis.* — Neque etiam ad alium modum obligationis necessaria est solemnitas promulgatio, sed sufficiens præcepti intimatio per authentica instrumenta, vel æquivalentem probationem, ut consuetudo etiam probat. Et ratio est, quia tale præceptum non imponitur Ecclesie, aut alicui communitati per se, propter publicum bonum, vel gubernationem, sed ponitur ut particulare præceptum aliis datum in favorem privilegiarii, solum ad effectum et observantiam privilegii, et ideo non est in illo necessaria solemnitas promulgatio, sed particularis notificatio accommodata fini talis præcepti. Confirmari hoc potest, quia in tali indulto privilegium ipsum est principale; præceptum autem quasi accessorium; et ideo sequitur naturam principalis, ideoque ut lex privata reputatur, ad quam solemnitas promulgatio non requiritur. Denique ob eandem causam cura notificandi privilegium non spectat ad principem, sicut pertinere solet cura solemnitas promulgationis ubi est necessaria, sed spectat ad ipsum privilegiarium, qui poterit privilegium suum intimare, aut notum facere, prout sibi utile fuerit. Atque hoc tam in foro conscientie quam in foro exteriori locum habet, quia eadem est utriusque ratio, supposita sufficienti probatione. Unde si tale præceptum privilegio insertum habeat annexam excommunicationem ipso facto, illam in conscientia incurrit, qui contumax fuerit contra tale præceptum, si sufficienter intimatum; et in iudicio exteriori talis veniet declarandus, si ejus contumacia habita post sufficientem notitiam privilegii, et præcepti in eo impositi sub tali censura, legitime probetur.

9. *De notitia vel probatione requisita in privatis privilegiis.* — Non sufficere assertionem dicentis se habere privilegium, licet sit persona bonæ famæ et fide digna; sed requiritur aut ostensio privilegii, vel alia probatio quæ prudenti arbitrio sufficiat. — Statim vero occurrit dubitatio, quæ notitia vel probatio re-

quiratur in his privatis privilegiis, ut inferiores Prælati, aut iudices, aut aliæ personæ ad quas pertinere potest, teneantur illis parere, vel eis non contravenire. Sed quia hoc magis ad forum externum attinet quam ad internum, breviter illud expediatur. Nam in foro conscientie sufficit notitia privilegii moraliter certa, de qua probabiliter dubitari non possit; tunc enim, quæsito aliquo falso colore, tergiversari et voluntati superioris resistere, non potest in conscientia esse licitum. Ad hanc autem notitiam non sufficit assertio dicentis se habere privilegium, etiamsi sit persona bonæ famæ et fide digna, ut communiter cum Innoc. tradunt canonistæ in cap. *Ex parte*, de Verbor. significat. Et ratio est, quia nemo est in propria causa testis omni exceptione major, et quia angelus satanæ transfiguratur se in angelum lucis, et multa mala committuntur sub dolosa specie sanctitatis, et ideo non solum non tenetur quis credere dicenti se habere privilegium, ad effectum admittendi usum ejus, verum etiam nec recte faciet tam facile credendo, regulariter loquendo, propter pericula et fraudes quæ intervenire possunt. Aliquando vero id fieri poterit ex urbanitate, quando non occurrit peculiaris causa suspitionis, non vero ex obligatione. Ad hanc ergo necessaria est vel ostensio privilegii, vel alia probatio quæ prudenti arbitrio et bona fide procedendo, sufficiens existimetur in conscientia.

10. Multo vero magis in foro exteriori necessaria est ostensio indulti per instrumentum authenticum, vel in se demonstratum, vel saltem per testes probatum, juxta superius dicta cap. 2, et tradita communiter a doctoribus ibi citatis, et a Sylvest., verb. *Exemptio*, q. 5 et 7, ex cap. *Cum personæ*, de Privileg., in 6, ubi Glossa, doctores, Panormit. in cap. *Cum ordinem*, de Rescript., Innocent., Anton., Henr. et alii in dicto cap. *Ex parte*. Qui addunt limitationem, dicentes hoc esse necessarium, quando privilegium non est publice notorium: unde insinuant publicam notitiam esse sufficientem probationem, ut tunc ostensio privilegii postulari non debeat, nec juste possit. Quod intelligendum esse existimo, quando publica notitia non tantum est per famam (quæ per se non facit sufficientem probationem, sed ad summum semiplenam), sed etiam per usum privilegii communem et notum. Tunc enim ipse usus confirmat privilegium, et confirmat jus: unde, si tantus sit ut notoriam præscriptionem legitime induxerit,

illius probatio vel publica notitia sufficere; si vero nondum sit consummata præscriptio, vel non sit notoria, sufficere ille usus, ut non privetur quis possessione et usu sui privilegii, intra sufficiens tempus ad tollendum illud, ut latius Sylv., supra, quæst. 6, allegans plures, prosequitur.

## CAPUT XXV.

UTRUM PRIVILEGIUM NONDUM PRIVILEGIARIO NOTUM  
NEC AB ILLO ACCEPTATUM, CONFERRE ILLI POSSIT  
ALIQUOD JUS.

1. Venio ad alteram partem de privilegio, ut privilegium est, id est, ut favorabilem effectum in privilegiario operatur, et dat illi facultatem illo gaudendi; nam in illo ut sic considerato habet locum quæstio, quando incipiat operari suum effectum. De tribus autem temporibus dubitari potest, scilicet, an a tempore concessionis, vel promulgationis, vel notitiae. Verumtamen de tempore promulgationis nulla est hic habenda ratio, quia in ordinariis privilegiis privatis neque est necessaria, neque fit promulgatio, ut dictum est. In privilegiis autem publice concessis per legem communem et propriam, licet necessaria sit promulgatio, nihilominus per illam videtur privilegii concessio consummari ex parte concedentis, nam antea non est sufficienter facta, quia voluntas principis antea non est sufficienter proposita et declarata. Et ita tota quæstio versatur inter concessionem et notitiam, id est, utrum statim a concessione ante notitiam privilegii consequatur quis effectum seu gratiam privilegii, vel (quod perinde est) an privilegium operetur circa ignorantem.

2. *Communis sententia.* — Prima et communis sententia est, necessariam esse notitiam privilegii ad consequendum effectum illius. Ita Glossa in c. *Ex parte*, de Concess. præbend., in 6, verb. *Vim suam*, et ibi Card., et in Procem. Clement., verb. *Universitati*, q. 5; Joann. Andr., et fere alii expositores in d. § *Ex parte*. Sequitur Panormit. in cap. *Cognoscetes*, n. 7, et ibi Felinus, qui referunt Innocent. et alios; et idem sentit Bartolus in lege *Beneficium*, ff. de Const. princ., n. 4; et ibi Baldus, n. 15; et communiter summistæ, et plures alii quos refert et sequitur Sancius, l. 3 de Matrim., disput. 36, n. 2. Fundamentum est, quia privilegium non acquiritur absenti; ergo neque ignoranti; ergo nec operatur in illo. Antecedens probari solet ex lege *Qui*

*absenti*, ff. de Acquir. possess., ubi dicitur libertatem non acquiri per rescriptum manumissionis, donec servus sciat et acceptet. Idemque de legitimatione dicitur in Auth., Quibus modis naturales efficiantur sui, § *Illud tamen*, verbo *Generaliter*; et idem de concessione beneficii dicitur in cap. *Si tibi absenti*, de Præbend., in 6; et generaliter de privilegio id dicitur in dicto c. 1 de Concess. præbend., licet non habeatur in decisione textus, sed in narratione. Ratio autem adæquata esse videtur, quia ad effectum privilegii non satis est concessio activa, sed debet etiam supponi acquisitio passiva; hæc autem non fit sine voluntate privilegiandi acceptantis, quia beneficium non fit invito, neque aliquis potens uti voluntate aliquid acquirit non volens; ad voluntatem autem acceptandi necessaria est notitia, quia voluntas non fertur in incognitum; ergo de primo ad ultimum privilegium operari non potest ante sui notitiam circa ignorantem.

3. *Secunda sententia.* — Secunda sententia, extreme contraria, est privilegium habere suum effectum statim ac perfecte concessum est, etiamsi ab eo cui conceditur ignoretur. Pro hac sententia citari solet Glossa in Procemio Clement., verb. *De cætero*. Sed si attente legatur, de promulgatione loquitur, non de notitia. Tenent Geminian. in c. 1 de Concess. præbend., in 6; Archidiacon., in cap. *Posuisti*, dist. 82, ad fin.; Angelus, verb. *Renuntiatio*, n. 5, quando privilegium conceditur motu proprio; et plures alios refert Sancius supra, n. 1. Favet Bartolus in l. ult. c. de Sentent. passis, n. 5, ubi ait restitutionem deportati prodesse ignorantem, cum tamen illa quoddam privilegium sit. Et suaderi potest ex lege *Ejus qui in provincia*, § ult., ff. Si certum petatur, ubi dicitur libertatem testamento relictam acquiri ignorantem; ergo pari ratione privilegii beneficium acquiritur; nam voluntas principis non est minus efficax quam voluntas testatoris, imo æquiparantur in Authent. de Nuptiis, § *Disponat*, collation. 4. Et hinc potest adjungi ratio, quia voluntas principis est de se efficax ad conferendum beneficium; ergo, posita illa voluntate efficaci principis conferendi privilegium Petro, sine ulla conditione vel limitatione, statim conferet illud, et effectum ejus. Probatur consequentia, quia voluntas efficax statim operatur quod vult. Antecedens vero probatur, quia voluntas principis superior est, et non indiget voluntate subditi ad suum ef-



fectum: unde, si sola potest auferre dominium subditi ex justa causa, vel irritare consensum ejus, et obligationem imponere ad acceptandum; ergo etiam conferre ignorantibus privilegium. Quod si inquiras quando sit censenda consummata concessio privilegii ut effectum habeat ante notitiam, Gemin., supra, et alii putant esse hoc tempus, cum primum rescriptum privilegii est authentice confectum et subscriptum, seu bullatum. Quod fortasse locum habet in foro exteriori; nam in interiori (consequenter loquendo) manifestatio voluntatis principis, per verba vel quocumque modo, erit sufficiens.

4. *Tertia sententia.*— Inter has sententias extremas sunt aliae mediae, quae moderantur vel conciliant praecedentes. Tertia ergo sententia distinguit de privilegio concessio per statutum seu legem, aut per rescriptum vel privatam concessionem; nam primum habet effectum ante notitiam legis, non tamen secundum. Ita distinguit Joan. de Imol. in c. 2 de Constit., ubi ita concordat varia dicta Bart. in hac materia. Nam in locis supra citatis in prima opinione, dicit privilegium non prodesse ignorantibus; et tamen, de privilegio lato per legem, aliter sentit in locis citatis in secunda sententia, et generalius in leg. *Omnnes populi*, ff. de Justit. et jur., n. 37, et in leg. penult., cod. de Divor., lib. 10; item Menoch. 2 de Arbitr., cent. 2, casu 185, num. 45 et sequentibus. Unde haec opinio quoad posteriorem partem sequitur primam sententiam, et habent idem fundamentum; quoad priorem vero limitat illam. Et fundamentum specialitatis ex Menochio, supra, est quia privilegium datum a lege habet rationem praemii, quod princeps, ex officio, confert ei qui hoc vel illud pro republica egerit: non est autem minus dignus illo praemio qui ignorans legem facit opus requisitum ad illud, quam qui sciens facit, imo quodammodo videtur dignior: ergo non minus acquirit privilegium. Confirmatur, quia licet sic operans ignoret in particulari legem offerentem tale praemium, non ignorat in communi se esse praemio afficiendum. Hanc vero limitationem non admittunt Panorm., Felin., et alii in cap. 2 de Constitut.; et specialiter illam impugnat Deci., lect. 1, num. 176; et de illa dubitat Jason in l. *Beneficium*, ff. de Constitut. princip., n. 51.

5. *Infirmatur fundamentum praedictae sententiae.*— Et revera tam distinctio quam limitatio non caret difficultate. Et imprimis

fundamentum non videtur satisfacere. Primo, quia non est adaequatum; nam potest esse privilegium lege concessum, et non per modum praemii, sed propter paupertatem, vel propter religiosum statum, aut aliam piam causam. Secundo, quia etiam privilegium non concessum per statutum potest proponi per modum praemii in aliquo certamine per transitorium edictum ab homine propositum; ergo etiam tale privilegium acquireretur ignorantibus, si eodem modo sit propositum. Vel certe si tale commodum per edictum propositum non acquiritur ignorantibus, licet faciat actum propter quem praemium offertur, etiam non acquireretur propositum per statutum; nam est eadem ratio, nam etiam edictum transitorium potest propter bonum commune vel aliquam rationem publicam fieri, et quod sit magis vel minus durabile, videtur accidentarium. Nec minus lex scientiam requirit quam rescriptum, nec, e converso, magis obstat ignorantia rescripto quam legi. Unde si ad ducem belli rex scriberet, promittens in praemium talem honorem si talem obtineret victoriam, et ille ante receptum rescriptum obtineret victoriam, de illo esset eadem ratio quae de praemio proposito per statutum generale, quia ille non esset minus dignus praemio, et quia etiam militabat spe praemii; ergo vel, in utroque casu, admittenda est doctrina, vel neganda, et ita distinctio seu limitatio non subsistit. Quod si non fiat vis in statuto, sed in hoc solum quod privilegium proponatur per modum praemii, imprimis habet generalem difficultatem, quomodo interveniat ibi vera ratio meriti et praemii. Et deinde non videtur posse reddi sufficiens ratio cur privilegium propositum in remunerationem futuri operis acquiratur per opus, antequam promissio vel collatio talis praemii ad notitiam operantis perveniat, et privilegium remunerativum operis jam facti, vere digni tali praemio, non acquiratur ante notitiam concessionis, quia, quod promissio seu collatio conditionata praecesserit, cum fuerit ignorata, moraliter nihil conferre potuit, quia in moralibus perinde est legem omnino ignorari ac non esse, quantum ad opus operantis. Ac denique fundamentalis ratio unius membri distinctionis aequae in altero locum habet, scilicet, quia privilegium non acquiritur sine acceptatione; nam si hoc verum est in privilegio remunerativo operis jam facti, cur non erit in remuneratione operis faciendi? Vel, si in utroque necessaria est,

a neutro, vel ab utroque haberi poterit sine notitia concessionis. Est ergo difficilis pars illa, et tota distinctio.

6. *Quarta sententia.*— Quarta sententia cogitari potest cum distinctione alia, etiam ex parte privilegii. Nam quoddam est concedens per se, ac principaliter, aliquod jus, dignitatem, aut potestatem, quae per modum actus primi confertur privilegiario, ut postea illo uti possit suo arbitrio; aliud est per se, ac principaliter, tollens onus aliquod, vel impedimentum, aut obligationem quam princeps potuit imponere, et potest postea auferre per modum dispensationis: unde hujusmodi privilegium potius conferri videtur per modum actionis, seu actus secundi, qui principaliter et per se fit ab ipso concedente privilegium, et postea non habet novos effectus per se, sed quasi per accidens, quatenus abstulit impedimentum. Exempla in utroque membro sunt facilia, et ideo illa omitto. In privilegiis ergo primi generis admittitur prima sententia propter ejus fundamentum, quia cum illa conferant aliquid, requirunt acceptationem recipientis. In privilegiis autem secundi generis praefertur secunda sententia, quia in ea deficit fundamentum primae sententiae, imo potest formari contrarium: nam onus obligationis, vel impedimentum quod per tale privilegium aufertur, sola principis voluntate impositum fuit, sine acceptatione alterius: ergo per eandem aufertur; ergo statim operatur etiam circa ignorantem, quia illius acceptationem non requirit, et notitia privilegii solum potest postulari propter acceptationem. Et haec sententia quoad prius membrum supponitur ex prima, quoad posterius vero sumitur ex Soto in 4, d. 29, q. 2, art. 1, quatenus supponit impedimentum dirimens auferri per dispensationem concessam, etiamsi ignoretur, et ita matrimonium contractum sub illa spe, vel conjectura quod Romae data sit dispensatio, ante priam notitiam ejus, validum esse et permanere, si postea constet dispensationem jam illo tempore fuisse expeditam. Quod sequitur Veracruz in Speculo, 1 p., dub. 19, in appendice, § *At si post dispensationem*, et Ludovic. Lopez, 2 p., tract. de Matrim., cap. 42, fol. 1087, colum. 1. Sed in hac sententia hoc posterius membrum habet gravem difficultatem moralem, quam in capite sequenti inferius commodius proponam.

7. *Quinta sententia distinguens ex parte effectus privilegii.*— *Notandum discrimen inter privilegium et collationem beneficium.*— Quinta

opinio distinguit aliter ex parte effectus privilegii; nam potest esse perfectus et integer, vel tantum inchoatus et secundum quid. Priori modo, fatentur auctores hujus opinionis privilegium non habere effectum suum priusquam privilegiarius notitiam illius habeat illudque acceptet, propter fundamentum primae sententiae, quam dicunt isto modo esse intelligendam. Posteriori autem modo aiunt procedere secundam sententiam; putant enim necessarium ut privilegii concessio a principe facta statim incipiat habere aliquem effectum. Quod si inquiras quisnam hic effectus sit, aliqui respondent esse hunc, quia concessio illa, licet nondum in alterum transtulerit jus, nihilominus retractari non potest, nec alteri fieri, donec ille cui facta est, post illius notitiam habitam, illam non acceptet. Potestque fundari in c. *Si quis absenti*, de Praebend., in 6, ubi hoc ipsum dicitur de collatione beneficium absenti facta, quia non habet effectum donec acceptetur, interim tamen mutari non potest. Ita docet Deci. supra, allegans Cardin., in Procem. Clement., in verb. *Universitatem*. At profecto fundamentum invalidum est; nam collatio beneficium non est privilegium, sed res longe diversa, ut supra dixi: a diversis autem non fit illatio. Praesertim quia illud quod textus ille disponit, non est ex natura rei tantum, sed ex positivo jure canonico. Unde summus Pontifex, qui non ita subieitur juri positivo sicut reliqui, bene potest collationem factam absenti, ante acceptationem mutare sine ulla injustitia, licet fortasse requiratur aliquam causam: ergo non licet extendere illam dispositionem ad privilegii concessionem; sicut non licet illam extendere ad alias donationes, vel promissiones non acceptatas; ergo nec ad privilegium. Deinde ut notavit Covarr., 3 var., c. 16, n. 1, differentia notanda intervenit inter privilegium et collationem beneficium. Nam Praelatus tenetur ex officio suo conferre beneficium, et ideo postquam semel functus est officio suo, non permittitur ei retractare actum, nec alteri conferre beneficium, donec alius provisus non acceptet. At concessio privilegii non fit ordinarie ex obligatione, sed ex gratuita voluntate concedentis, et ideo talis concessio non comprehenditur sub dispositione illius textus. Unde concluditur falsum esse quod illa sententia sumit; nam potius, per se loquendo, privilegium est libere revocabile a concedente, priusquam acceptetur, ut tenet Covarr. supra, et Menoch., de Arbitr., l. 2, cent. 2, casu 185, num. 46 et 47, qui plures



alios referunt, et ex dicendis magis constabit.

8. *Alia expositio dictæ distinctionis.* — Alio modo visus est dictam distinctionem exponere Emman. Roder., tom. 4. Quæstion. regul., quæst. 7, art. 6, dicens, per privilegium statim acquiri jus ignorantis, licet non conferat illi statim omnem suum effectum. Et hanc dicit esse communem sententiam Bart., Panorm., et Cardin. locis citatis, Jason in l. ultim., ff. de Constit. princip., et utitur argumento a simili, quo Bart. etiam utitur; nam per legatum acquiritur jus legatario etiam ignorantis, l. *Cum pater*, § *Surdo*, ff. de Legat. 2. Quod jus non est in re, quia non est dominium usque ad aditam ab hærede hæreditatem, juxta l. *Si tibi homo*, § *Cum servus*, ff. de Legat. 2, et l. *A Tito*, ff. de Furtis; quibus locis Glossæ, Bartol. et doctores id notant, et Covarr., in cap. *Rainaldus*, de Testament., § 1, n. 1. et Anton. Gom., 4 tom. Variar., c. 19, n. 7. Illud ergo jus legatarii in principio imperfectum est; idem ergo erit in privilegio; nam (ut dixi) æquiparantur. Hæc vero sententia, si aliquid intendit per hanc explicationem quod sit diversum a præcedenti, minus verisimilis est; oportebit enim ut illud jus quod acquiri dicitur privilegiario ignorantis, saltem sit jus ad rem; tum quia nullum aliud potest intelligi ante jus in re, quod per acceptationem acquiritur; tum etiam quia tale censetur esse jus legatarii ignorantis ad legatum, saltem ante aditam hæreditatem; hoc autem dici non potest; ergo.

9. Ostendo assumptum in minori propositione, excludendo æquiparationem cum legato; nam licet in hoc servet aliquam proportionem, quod, sicut legatum pendet a voluntate testatoris, per quam fit, ita privilegium a voluntate concedentis; nihilominus simpliciter sunt longe diversa, et non oportet ut in omnibus servant similitudinem, et præsertim in his quæ per speciale jus sunt disposita in legato, et non in privilegio, quale est illud quod assumitur. Et præterea in hoc ipso intercedit notabilis differentia; nam legatum non dat jus nisi post mortem testatoris, quando voluntas ejus retractabilis non est; privilegium autem a concedente, qui vivere supponitur, retractari potest, dum acceptatum non est. Præterea in privilegiis dispensantibus, seu datis tantum ad auferenda onera, non potest intelligi tale jus ad rem; imo nec aliquis effectus prior ipsa dispensatione vel ablatione vinculi, præter delegationem ad dispensandum, de qua certum est non comparari ante

acceptationem, neque aliquod jus ad illam; unde etiam de aliis omnibus privilegiis concessivis, sine fundamento, vel doctrinæ consecutione fingitur tale jus ad rem. Nam peto, contra quem est illud jus? Maxime enim contra concedentem, quia contra alios esse non potest, ut constat; sed neque contra concedentem ullum insurgit jus, vel obligatio, cum ejus concessio, quæ est quasi quædam donatio, nondum fuerit acceptata, et consequenter libere potuerit revocari; ergo. Unde contra illud membrum generaliter procedit ratio quæ pro altero fit; quia illud jus, quodcumque sit, debet esse effectus privilegii; at hoc esse non potest, quia privilegium nihil operari potest in nondum volentem et acceptantem. Nec enim minus requiritur acceptatio ad acquirendum jus ad rem quam in re, ut in aliis donationibus constat; ideo enim libere revocari possunt ante acceptationem, saltem stando in communi jure, l. *Absenti*, ff. de Donat., l. *Ne ambigi*, c. eod. Denique plus est acquirere jus, sive in re, sive ad rem, quam donationem fieri irrevocabilem; sed privilegium ante notitiam et acceptationem non est irrevocabile; ergo signum est non contulisse aliquod jus.

10. *Sexta sententia aliter distinguens ex parte modi concedendi privilegium.* — *Duplicæ sensus quæstionis.* — *Ad aliquem effectum privilegii requiritur acceptatio, ad alium vero minime.* — *Notitia privilegii ad quem effectum requiritur.* — Sexta ergo sententia distinguit aliter ex parte modi concedendi privilegium; interdum enim fit propria sponte concedentis, privilegiario non petente, nec per se, nec per alium, et tunc censet procedere primam opinionem propter fundamentum suum. Aliquando vero conceditur privilegium ad petitionem partis, quam per se, vel per epistolas, aut nuntium facit, et tunc juxta hanc sententiam statim a concessione incipit operari. Quia, statim ac privilegium datur, acceptatur, vel per procuratorem, vel per epistolas; imo acceptatio tunc videtur antecedenter facta ex vi petitionis quasi sub conditione, *Si princeps concedat*; ergo nulla superest necessitas notitiæ concessionis in privilegiario ad effectum privilegii; quia solum propter acceptationem postulatur; ergo nihil aliud est quod ex parte privilegiarii desideretur; ergo cum voluntas principis sit efficax, statim operatur: et hanc sententiam tradit Sylvest., verb. *Privilegium*, quæstion. ultim., et verb. *Renuntiatio*, quæstion. 4; Tabien., verb. *Indulgentiæ*, q. 20; Rosel., num. 8; sequitur Sanci. referens plu-

res, lib. 4 de Matrimon., disputat. 6, num. 29. Et hæc sententia forte non est contraria primæ; nam eosdem fere habet auctores, sed est ejus declaratio et moderatio, proximeque ad veritatem accedit; aliqua tamen majori indiget explicatione, quæ partim restrictionem majorem, partim aliquam ampliationem contineat. Igitur imprimis adverte quæstionem hanc posse tractari de possibili, vel de facto, id est, an dans privilegium, si velit, possit illud ita conferre, ut ante notitiam privilegiarii habeat suum effectum in illum; vel an, licet princeps hoc possit, nihilominus de facto, et secundum legem ordinariam nunquam illud ita concedat. Deinde considero aliquando talem esse effectum privilegii, ut ad illum moraliter non requiratur consensus, vel exceptio privilegiarii, ut est, verbi gratia, exemptio alicujus ut excommunicari non possit, quia hic effectus non fit in illo directe, sed resultat in illo, auferendo ab alio potestatem excommunicandi illum. Sæpius vero effectus privilegii talis est, ut requirat acceptationem recipientis, ut est concessio potestatis ad eligendum confessorem, vel ad audiendas confessiones; nam hæc privilegia renuntiari possunt, et per renuntiationem perduntur, ut infra ostendetur: ergo, majori ratione, per refutationem (ut sic dicam) vel non acceptationem non recipientur; ergo signum est requirere acceptationem. Denique adverte inter privilegia quædam esse quorum effectus potest habere aliquem usum, vel fructum in privilegiario, antequam habeat notitiam illius, ut est privilegium per quod eximitur ab aliquo onere pœnali, ut est immunitas a censura, vel a tributo, etc. Alia vero sunt privilegia quorum effectus, etiamsi fiat ante notitiam privilegiarii, non potest in illo habere usum vel fructum moralem sine periculo peccati, ut est dispensatio in obligatione legis, vel in impedimento matrimonii: nemo enim potest licite uti tali dispensatione ante notitiam ejus.

11. *Datur potestas in supremo principe dandi privilegium quod operetur suum effectum antequam perveniat ad notitiam privilegiarii.* — Dico ergo primo: in principe supremo concedente privilegium, non deest potestas ad conferendum illud cum tanta amplitudine et efficacia, ut statim operetur suum effectum in privilegiario nondum habente notitiam privilegii. Hanc assertionem supponunt auctores secundæ sententiæ, quam in hoc sensu admitto, et non in alio. Item ex

parte illam admittunt auctores tertiæ et quartæ sententiæ, et satis expresse illam indicavit Sylvest. supra, ubi, cum dixisset privilegium motu proprio concessum non habere effectum ante sui notitiam, addit limitationem: *Nisi appareat de voluntate contraria concedentis*; supponit ergo non deesse illi potestatem; et eodem modo locuti sunt Angelus et Rosel. et expresse Felin. in dicta limitat. 3. Unde fere reliqui auctores, negantes de facto hunc effectum, utuntur conjecturis indicantibus voluntatem concedentis, non vero nituntur in defectu potestatis. Et consequenter non sentiunt hoc repugnare privilegio, ut privilegium est: ratio ergo est, quia ex parte privilegii non potest assignari repugnantia; ergo neque ex parte principis potest assignari ratio cur desit potestas. Declaratur antecedens, simul probando consequentiam, quia vel illa repugnantia est contra legem naturalem, et hæc nulla est, ut statim ostendam discurrendo per omnes modos seu effectus privilegiorum, qui ab omnibus opinionibus relatis tanguntur; vel est contra legem positivam, et huic derogare potest princeps supremus per suam potestatem legislativam, vel dispensando secum in tali jure, vel per interpretationem, aut alio modo se ab illa eximendo; et sic, ablata repugnantia, non deerit in illo potestas ad concedendum illo modo privilegium; nam hæc æque suprema est, ac potestas legislativa.

12. *Confirmatur assertio.* — *Primo.* — Declaratur autem hæc ratio, et roboratur assertio, discurrendo per omnes distinctiones tactas ab aliis auctoribus. Et imprimis in privilegiis quæ consistunt tantum in ablatione oneris impositi a principe, vel republica, aut a lege, videtur res clara propter rationem factam in quarta sententia, scilicet, quia illud onus a voluntate principis manavit, non spectato consensu vel scientia ejus cui imponitur, et ab illa pendet; ergo per eandem solam potestatem auferrit, non expectata notitia vel acceptatione subditi. Dices: dispensatio in lege est ablatio oneris a lege impositi, et tamen requirit consensum recipientis, ut communiter dicitur. Respondeo: quidquid sit de facto, de potentia absoluta dispensantis falsum est assumptum. Potest enim Papa clericum in sacris habilitare ad matrimonium, etiam invitum, imo illi præcipere ut contrahat illud, si ad commune bonum Ecclesiæ, vel alicujus regni viderit expedire; potest etiam Prælatum religionis dispensare de jeju-